



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 3. Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

4. Quæ criminæ dirimunt matrimonium?  
 p. Duo, videlicet: *Adulterium & homicidium*, dummodo adsint conditiones requisitæ ad impediendum illud.

Dirimit autem *adulterium* matrimonium inter adulterantes primò, si adulter vivente conjugé contraxit matrimonium cum adultera, aut vice versa. Secundò, si adulteri, vivente conjugé, sibi promiserint matrimonium post mortem conjugis ineundam.

*Homicidium* dirimit matrimonium, quando uxor V.G. communi consilio cum Petro procurat mortem mariti, aut quando maritus communi consilio cum *Berta* procurat mortem uxoris eâ intentione, & pacto, ut simul contrahant matrimonium post illius mortem.

### §. 3. *Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.*

**C**ULTUS DISPARITAS est, *Differentia, quæ repe-  
ritur inter personam baptizatam, & non bapti-  
zatam.*

Hoc impedimentum contrahitur, quia hæc disparitas contraria est matrimonio ratione principioris boni ipsius, quod est bonum proliis educandæ ad cultum Dei. Quod si ambo in infidelitate contrixerint, maritus ad fidem conversus cum conjugè infidi poterit remanere, etenim quod matrimonio semel valido tantum supervenit, illud non dissolvit; eam tamen dimittere poterit, si nullo modo pacificè, & non sinè

376 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

blasphemia divini nominis coabitare velit, dicente Apostolo: *Si quis frater uxorem habet infidem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam..... Quod si infidelis discedit, discedat.* i ad Cor. 7. Unde si post discessum aliam (fidelem tamen) in uxorem duxerit, validè contraxit, non quod causa dissolutiva prioris matrimonii sit baptismus, sed matrimonium secundū initum.

Matrimonium fidelis cum hæretica, quamvis non sit invalidum, potest tamen ratione circumstantiarum esse illicitum, quando est periculum, ne fidelis subvertatur à conjugi, & ne proles educetur in hæresi, præsertim si uxor sit hæretica.

VIS est, *Violentia, seu coactio, quæ fit per incusione metus injusti, & ad extorquendum consensum ordinati.*

Hinc nec ex levi, nec ex naturali causa proveniens metus, matrimonium poterit impedire, aut irritare.

Si quis ergo metu mortis, inferni, naufragii imminentis periculo concubinam duxerit, validus est contractus. Pariter si metus incutiatur justè, V. G. Si Judex minetur mortem stupratori, nisi stupratam ducat &c.

ORDO: Sub hoc nomine intelligitur Ordo major, qui dirimit ex constitutione Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. matrimonium postea contrahendum, non antè contractum.

LIGAMEN est, *Matrimonium cum alio validè contractum, etiam si non fuerit consummatum: quo durante, uxor alligata est viri, nec aliam ducere potest.*

potest. Si vir mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Hujus autem mortis certitudinem ex temporis mora, aut diuturna absentia non divinet, sed certis ex nuntiis, ut definit Clemens III. Cap. in præsentia. de sponsalibus.

HONESTAS PUBLICA est, *Impedimentum proveniens ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio rato, & non consummato, vel etiam ex matrimonio invalido ob aliam causam, quam ob defectum consensus sufficientis, ut si contrahatur cum errore personæ &c.*

- P. 1. In quo gradu honestas orta ex sponsalibus validis dirimit matrimonium?
- ¶. In primo gradu utriusque lineæ inter sponsum, & consanguineos sponsæ, item inter sponsam, & consanguineos sponsi. Ita Trid. sess. 24. cap. 3. de reform. Hinc si valida contraxeris sponsalia cum Catharina, invalidè contrahis matrimonium cum Anna sorore Catharinæ, etiam si ante contractū Matrimonium hæc mortua fuerit, quia hoc impedimentum est perpetuum, perseveratque post mortem.
2. Ad quem usque gradum justitia publicæ honestatis orta ex matrimonio rato dirimit Matrimonium?
- ¶. Usque ad quartum, constat ex Bulla Pii V. cui titulus: *Ad Romanum spectat.*
3. Ad quem usque gradum justitia publicæ honestatis orta ex matrimonio ob aliam causam, quam ob defectum consensus, invalido?
- ¶. Etiam usque ad 4. constat ex Bulla citata.